



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vitae Sanctorvm

Lippeloo, Zacharias

Coloniae Agrippinæ, 1603

Vita S. Faronis Episcopi Meldensis: Ex ea quæ est apud V. P. Laur. Sur. Fuit
vicesimus eius sedis episcopus: Ordinatus anno Domini 620. Seditq[ue]
annis 66:

urn:nbn:de:hbz:466:1-42787

VITA S. FARONIS EPISCOPI

Meldensis: Ex ea quæ est apud V. P. Laur. Sur.
Fuit vicesimus eius sedis episcopus; Ordinatus
anno Domini 620. Seditq; annis 66:

Vide. C. Ba-
ron in Not.
ad Martyr.
Rom. &
Tom. 8. An-
nal.

28. Octob.
Patria &
pavētes eius.
* Landegum
da.

Fratres eius
& Sorores.
S. Columbani
vita habe-
tur 21. No-
vemb.

S. Eustachij
vita habe-
tur 29. Mar-
tij.

Vvalbertus
eius frater
19 Meldēsis
Episcopus.

Faro in aula
Regum cla-
rus.

BEATVS Faro patre Hagnerico Burgun-
dione natus est, Theodoberto Austrasia-
norum Regi tantum charo, vt propter
præstantes animi dotes in aulam ab eo accitus
fuerit; vbi ducta in matrimonium* Leodegun-
da, generis præstantia haudquaquam impari
sibi coniuge, tres ex ea suscepit liberos; Faro-
nem, de quo nobis sermo; Vvalbertum &
Chalnoaldum; itemque Faram filiam, multa
probitate conspicuam. Et quidem Chalnoal-
dus B. Columbano illustri sanctitate Abbati in
disciplinam à patre traditus, postmodum vnâ
cum Vvalberto fratre, & B. Agilo cognato,
Agnoaldi (qui fuit Hagnerici frater) filio, Eu-
stachio magnæ doctrinæ & sanctitatis viro, i-
psius Columbani discipulo, cõmissi sunt insti-
tuendi, quibus plerique alij adiuncti fuere; qui
postea Ecclesiarum præfules eximij extiterunt.
Et Vvalbertus quidē nonus decimus à B. Dio-
nyfio pro vitæ suæ meritis creatus est Melden-
sium antistes.

Cæterum Faro in aulam Theodoberti Regis,
à patre adductus, militari habitu ornatus
fuit: interque regiæ primarios honoratæ mili-
tiæ stipendia fecit. Cùm autem Theoberti &
Theodorici Regum ditiones Clotario cessis-
sent, apud eum quoque Faro præcipuum gratiæ
& amicitia locum obtinuit: adeo vt Regi sub-
indè, ea fiducia fretus, æternæ salutis monita
daret,

daret, eumque ad mundanae gloriae contemptum sedulo prouocaret. Comis & amabilis omnibus, humanitatis & misericordiae officijs operibusque preclarā nauabat operam; ita ut capitis reos frequenter è praesenti mortis eriperet discrimine: eosdemque salutaribus monitis egregiè instructos, à flagitiosis actibus ad optima deinde frugem adduceret.

Eius virtutes eximiae adhuc in aula existens.

Missi eo tempore à Saxonum gente ad Clotarium venere legati; qui verbis iniuriosis adeo Regis animum exacerbauerunt, ut praecipite ira stimulante, confestim eos capitis damnaret. Et quanquam proceres à tali eum facinore dehortarentur, dicerentque; eo facto ius gentium, quod nullum scelus excogitari potest immanius, violatum iri, nihil tamen apud iratum Regis animum efficere potuerunt; ita ut omnino, ruptis moderationis habenis, suo potius furori quam sano consilio parere statueret. Dum Faro magna usus prudentia, Regis mandatum, ceteris reclamantibus, visus est approbare: ita tamen ut in posterum diem legatorum caedes differretur. itaque legati militum custodia traditi fuere: ad quos accedens Faro, praestanti sua eloquentia effecit, ut Christianis sacris, de aeterna salute solliciti, initiari voluerint. Quod simulac Regi indicauit, non modò eos vita donauit Rex, sed muneribus insuper affectos, cum honore ad suos & gaudio remisit: quanquam postea eadem Saxonum gens à Clotario bello superata & ferro penitus concisa fuerit.

Faronis prudentia in lenienda Regis ira.

Interea, cum multis magnisque honoribus apud Clotarium Regem clarus, sororem Faram virginem sanctissimam magno ipsius videndi desi-

*Renunciat
euntes ho-
noribus &
fit Ecclesia-
sticum.*

desiderio teneri cognouit, eam accessit; adeoq[ue]
familiari eius colloquio & sapienti oratione
delectatus est, ut amplissimos palatii honores,
Regisq[ue] singularem amicitiam sibi negligenda
putaret, ipsiusq[ue] coniugij oblectamenta,
adhuc vigente iuuentutis flore, respuerit; &
consentiente vxore Blidechilde, Ecclesiastico
ordini se adiunxerit; Ecclesiam beati Stephani
Meldensis, quæ tum magna premebatur pau-
peritate, multis villarum opibus ditaret; sanctæ
quoque Faræ cœnobium magnificè sublimar-
it; & non ciues modò, sed etiam peregrinos
& exules suis facultatibus sustentaret. Crecente
autem fama sanctitatis eius, gens Anglorum
magno eius amore incensa, puellas virgines ad
eum mittebat, quæ eius opera in monasterio
Faræ, Christo militarent.

*Succedit fra-
tri in Epif-
copatu Mel-
densi.*

Porro ut Valbertus frater eius Meldensis
antistes è vita excessit, Faro in eius locum sub-
rogatus est. Ad quam dignitatem euectus, quæ-
ta vitæ sanctitate, virtutumq[ue] splendore cla-
ruerit, satis declarant miracula, quæ per eum
Christus efficere dignatus est. Cum aliquando
ouiculas suas domesticatim visitaret, casu car-
cerem, in quo vinciti quidam detinebantur,
præterijt. Illis autem lachrymabili voce faci-
norum veniam & vinculorum solutionem pe-
tentibus, mox pietate commotus, Abite, in-
quit, liberi, quandoquidem vos factorum po-
niteat. Ad eam vocem vincula confestim solu-
ta sunt; non ausa imperium sancti antistitis de-
tractare, in quo Christi virtutem sentirent.

*Vincula ca-
ptiuorum ad
eius vocem
soluuntur.*

Non est autem silentio prætereundum, quæ
virtute animi & prudentia, coniunx eius Chris-
to iam

sto iam sacro velamine consecrata, beatissimi viri tentationem ab inuido & maligno dæmone illi iniectam extinxerit. Cum enim die quodā amoris eius & pulchritudinis recordaretur, misso confestim nuncio eam accersiri curauit, ut cupitis eius amplexibus frueretur. At illa semel iterūq; vocata venire renuit: tertio verò accita cum sancti viri animum pertinacem sentiret, ut & suæ & illius pudicitia consuleret, depositis vestibus, quæ cultiores videri poterant, & tonsis capillis, horrido se cilicio induit, eaque deformitate viro se visendam obtulit. Ille verò tali eam habitu & specie contemplatus, vehementer exhorruit, dolensque se eatenus tentationi cessisse, ab illicito se opere reuocauit. Fuit autem vir beatus in ea dignitatis administratione à Clotario Rege ad Childericum vsque annis 66: sicque post multos labores migravit ad Dominū lugente Meldensi ecclesia, Angelis verò lætantibus, eiusque virtutibus in gloria miraculorum præclarè coruscantibus.

En vt tentationem sancti viri eius quondam vxor extinxerit.

Felix obitus eius.

Tumulus eius miraculis clarus.

Vide Tom.

2. Annal. C.

Baron. &

Notat. ad

Martyr.

Roman.

HISTORIA BREVIS S. NARCISCI

Episcopi Hierosolymitani: Ex Ecclesiastica Historia Eusebii Casareensis lib. 6: cap. 8. & 9. Fuit hic tricesimus eius Sedis Episcopus: Claruit sub Seuero & Success. Impp. anno Christi 198, & sequentibus.

29. Octob.

PRAETER multas alias res admirabiles in Ecclesia gestas à Narcisco, referūt hoc ab eo editum miraculum. In magna & solenni Paschatis vigilia, cum oleum diaconis & Ecclesiae ministris deesset, & grauis quæ-

A a

dam-